



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

9. Diabolus similis Procusti latroni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

IX. (k) Quia mentio *Procustis* latronis in gestis *Thesei* injecta est, afferam, quæ *Stengelius* cap. 14. *Labyr.* disseruit. *Procustes*, inquit, notissimæ crudelitatis prædo, obvios quosque de insidijs exceptos, & domum abstractos, suo grabato applicabat; & si proceriores essent, amputatis pedibus decurtabant; si brevior corpufculo, funibus alligatos, & intolerabili cruciatu affectos, nervorum detorsionibus extendebat. Talis prædo animarum est diabolus, omnes sibi cupit facere æquales. Abundantes spoliando cruciat & tentat: egentes desiderijs extendit & torquet. Igitur divitias dat, ut auferendo efficiat impatientes: aufert, ut alliciendo, cupiditate accendat. Hæc ille. *Causinus* verò in Symbolis per *Procustem* intelligit Hæreticos SS. *Scripturæ* depravatores, qui nunc demunt, nunc addunt de suo, prout *Spiritus fanaticus* dicitur.

(k) Diabolus similis *Procusti* latroni.

SYMBOLVM XLI.

Formicæ in homines,

7. *Metamorph.*

Ethicè,

1. Formicarum respublica, & adumbratæ virtutes. 2. Homines fungino genere.

Æacus Jove & *Ægina*, *Æsopi* Bœotiorum regis filia, natus, cum *Æginam*, *Ægei* maris insulam, de nomine genitricis dictam incoleret, & gravis pestilentia, irâ *Junonis* immissa, omnem ferè populum absumpsisset, ad preces ipse conversus, enixè petiit à parente deo, ut vel redderet sibi cives pestifera lue sublato, vel sese defunctis aggregaret. Audita fuisse vota, mox editò signò ostensum est. Fortè suberat precantis oculis annosa quercus, è *Dodonæ* furculo plantata. Per hanc arborem longo commeabant agminè formicæ, grana gestantes ore. Miratus ingentem numerum *Æacus*, rogavit *Jovem* tantam civium copiam, quantum vidisset formicularum repentium, ad inanitas insulæ suæ civitates explendas. Annuit *Jupiter*; & mox intremuit arbor, ominosumque, ramis sine vento commotis, sonum excitavit. Cohorrescit *Æacus*, & terræ, stipitiquè sacro osculum impertit, non sine spe felici successûs. Noctu composuit ut in somnum oculos, objicitur eadem quercus dormienti, visâ-